



LIBER XI.

*Nigra Silva seculo Christi XVI. Ordinis
S. Benedicti XI.*

I.

Ingredimur infaustissimum post Christum natum æræ christianæ seculum XVI. quo machinæ omnes ad subvertendam avitam religionem ecclesiamque apostolico-catholicam sub specie prætextuque reformationis sunt admotæ. *Descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super petram.* Matth. VIII. 25. Notabimus suo loco philologicos magis quam theologicos conatus virorum elegantioribus litteris clarorum, qui dum paratragædiantur in disciplinam Ecclesiæ ac ecclesiasticorum vitia, quasi per cuniculos ipsam Ecclesiæ structuram labefactare videbantur. Id genus Iac. Spiegelius Maximiliano I. a secretis avunculi sui Iac. Wimphelingi medullam pragmaticæ sanctionis, quam ipse Wimphelingus an. 1510. Maximiliano oblatam postea Vulcano destinaverat, an. 1520. in lucem edidit, dum iam prima semina spargerentur discordiarum.

Prima semina
turbarum
circa religio-
nem.

Epocham Paulus Langius apud Pistorium a) belli litterarii, ut vocat, inter Lutherum & Romanenses, cum aliis ab an. 1517. repetit, rem autem enarrare orditur iam inde ab an. 1513. Refert ad annum sequentem Io. Reuchlini Pforzensis Nigra-Silvani cum Io. Pfefferkorn controversiam de Iudæorum libris non cremandis, Dominicanorum nonnullorum studio in academia Coloniensi primum, deinde alibi ipsaque Roma fotam: unde in monachos declamandi occasionem arripuerunt Reuchlinistæ. Reuchlini patrocinium suscepit Lutherus eiusque factio, atque adeo adversæ parti causa subnata est Reuchlinistas involvendi negotio Lutherano, ut Erasmus Roterodamus ad Albertum Pium principem Carpentem scribit lib. XXXI. ep. 44. Inter opera varia Hermannii von der Hardt extat tomo primo *Iubileum Reuchlinum Symbolicum celebratum in academia Iulia an. 1512. mense Octobri & Nov. resuscitatum an. 1515. mense Octobri* cum figuris: ubi ad eius imaginem, ex Io. Hen. Mayo in vita Reuchlini, celebratur hoc disticho;

a) Scriptor.
rer. Germ. T.
I. p. 1208.

*Primus Reuchlinus, quo porta Harcinia fontes
Veri monstravit, barbariesque dolet.*

Sequuntur Philippi Melancthonis & Martini Lutheri testimonia, quibus eum suum præceptorem agnoscunt.

MART. GERBERTI NIG. SILVA. T. II.

Q 9

II.